

sensu bona fide per nos observandum, quod fructus bonorum prepositure nostre a creditoribus capituli in hoc anno nostro nomine redemptorum et in antea redimendorum debebunt ad absolucionem debitorum dudum per capitulum nostrum contractorum fideliter converti absque diminucione qualicumque nullatenus coniunctim seu divisim; consensum nostrum ad hoc prescribimus, quod valor fructuum predictorum ad alios usus consumatur, volentes eciam omnia et singula cessare, per que ordinacio huiusmodi posset directe vel indirecte qualitercumque impediri. In cuius rei testimonium sigillum capituli nostri presentibus est appensum. Datum et actum capitulariter anno domini MCCCLIX feria quinta post dominicam qua cantatur Reminiscere (März 21).

Item quod dictum statutum fuit pluribus annis observatum, sed modo non observatur, quod prelati et alii non astricti ad solucionem debitorum capituli (sic), non potest fieri administracio plena secundum modum de annis ante tempora gwerrarum premissum, sed tamen in quantum absque aliorum iniuria servari potest est servandum et que bona fuerunt tunc obligata et pro solucione debitorum deputata apparet satis in computatione, de qua est prenarratum, cuius copia pro parti dicti Nicolai prepositi est tradenda; quid eciam post statutum predictum de illis bonis fuit redemptum hoc apparet quolibet tempore notum per hoc, quod bona libera habentur per capitulum.

Item <sup>1)</sup> de moltkorne temporibus dicti Nicolai prepositi sic fuit ministracio facta, quod habitis frumentis ad brasium deputatis cellerarius interfuit divisioni et alii ex parte capituli deputabantur, qui sic dividebant, quod pro preposito recipiebantur quinta pars et pro officiatis quinque plaustra et VIII mod. et alia pars dividebatur secundum morem notum. Et de parte

<sup>1)</sup> Von hier bis zum Schluß auf p. 789.